τῶνδ' οὕνεκ' ἔταμες βοστρύχους ξανθῆς κόμης;

cui illa: *φίλος γάρ ἐστιν, ὅς ποτ' ἐστὶν, ἐνθάδ' ὤν.*

quod responsum qui intelligit, ille hercle *Οἰδίπου ἐστὶ σοφώτερος.* Suspicor vocabula ΟϹΠΟΤЄϹΤΙΝЄΝΘΑΔΩΝ corrupta esse ex ΟϹΠΟϹΙϹΓΗΝΚΑΙΘΑΝΩΝ, itaque Helenam respondisse:

φίλος γάρ ἐστιν, ὃς πόσις γ' ἦν, καὶ θανών.

i. e. *amicus enim mihi est, quippe qui maritus meus fuit, etiam post mortem.*

Noorthei, mense Junio. H. VAN HERWERDEN.

OVIDIUS, *Metamorphos.*, VII. 147.

Medeae artibus omnes sibi impositos labores Iason perfecerat. Admirabundi Graeci Colchique heroem circumstant; complectuntur amici victorem. Medea quoque victorem complecti avet, sed obstat pudor;

Quod licet *affectu* tacito laetaris: agisque
Carminibus grates, et dis auctoribus horum.

Est quod amanti affectu isto tacito gratius sit et dulcius, illius scilicet aspectus, quem amplecti non licet. Neque iusto audacius memet coniicere arbitror, hoc ipsum OVIDII restituendum esse vocabulum legendo:

Quod licet *aspectu* tacito laetaris.

E. M.

LIVIUS, II. 42.

»Castoris aedes eodem anno Idibus Quinctilibus dedicata est. »Vota erat Latino bello, Postumio dictatore: filius eius, duum»vir ad id ipsum creatus, dedicavit.” Legendum esse »Vota »erat Latino bello, *a* Postumio dictatore” nobis auctor est ipse LIVIUS, quippe qui scripserat cap. 20 »Postumius dictator ae»dem Castori vovisse fertur.” Idem tradit DIONYSIUS HALICARNASSENSIS, *Ant. Rom.* VI. 17 et 94 et TACITUS, *Ann.* II. 49.

W. N. D. R.